

1437

P O L E M I C I.

1438

tii: *Omne datum &c. Jac. 1. dicit beatus Gregorius, omnis christi actio nostra est instructio &c.* Aetas horum Sermonum aliquantum innotescit e *Serm. de Corpore Christi*, in quo fol. 71. legas: *Et notanter Apostolus dicit: Ego enim accepi a domino et non a pseudopropheta nec a dyabolo nec a suis membris hereticis sicut fecerunt maledicti heretici hussite volentes et predicantes non solum sacerdotes sed et populum communem laycalem viros et mulieres communicari sub duplici specie &c.* Autorem vero adsignare difficile est; nam, qui nomen suum *Indiculo* ad calcem Codicis subjecit, *Vlricus Strobel de berczopirpawm*, Librarius potius fuisse videtur.

CCCLXXVIII.

898 Codex membraneus lat. Sec. XV. Folior. 258. 4. per duas columnas descriptus et rubricis enotatus, pertinensque olim, ut in ora infima primi folii legitur, ad Civitatem *Lymburg*, Germanis *Nimburg* in Prov. *Boleslaviensi Bobemiae*, juxta praemissum adcuratum Indicem, continet frequentia *Job. Wiclefi*, qui, ut solet, post tabulam latet, Opuscula: I. *Incipit tractatus de Officio pastoralis.* Initium: *Cum duplex debet esse officium christiani &c.* Ne Lectores perpetuis ab uno Codice ad alterum remissionibus fatigem, ad primum hunc Scriptorum *Wiclefianorum Codicem* monuisse sufficiat: Scripta ea

omnia in *Indice* diligenter sub unum conspectum esse posita, quo recurret, cujus intererit.

II. fol. 22. p. 2. *Incipit de vatisatione.* Initium: *Cum secundum sanctos spectat ad officium doctoris evangelici &c.* ut alibi.

III. fol. 25. *De triplici vinculo amoris.* Initium: *Tria sunt vincula amoris &c.* ut alibi.

IV. fol. 33. *Incipit de novis Ordinibus.* Initium: *Secundum apostolum ad ephe. 6. non est nobis colluctatio &c.* An Opusculum, quod *Baleus* inscribit *De origine Sectarum?* Constat 3. Capitibus.

V. fol. 36. *De Detecione perfidiarum anticristi.* Initium: *Paulus docet ad ephe. 4. quomodo christi ecclesia debeat diligere unitatem &c.* ut alibi.

VI. fol. eod. p. 2. *De gradibus cleri ecclesie.* Initium: *Quidam secularis probus zelator veritatis &c.* ut alibi.

VII. fol. 37. p. 2. *De demonio meridiano.* Initium: *Frons meretricis facta est populo &c.* ut alibi.

VIII. fol. 39. p. 2. *De concordatione fratrum cum secta simplici christi.* Initium: *Cum Christus sit primus et novissimus &c.* ut Cod. CCCCIV. ubi inscribitur *de Sectis Monachorum.*

IX. fol. 43. p. 2. *De ordine christiano.* Initium: *Ad declarandum veritatem fidei et omnem errorem perfidie &c.* ut alibi.

X. fol. 47. *Incipit Tractatus de Eucharistia et penitentia Et secundum alios de Confessione.* Initium:

1439

C O D I C E S

1440

tium: *Duo sunt sacramenta precipua in quibus &c.* ut alibi.

XI. fol. 51. Hexas Epistolarum: 1.) ad Urbanum Papam. *Gaudeo plane detegere &c.* 2.) ad archiepiscopum Cantuar. *Venerabilis in christo pater et domine. vester sacerdos &c.* 3.) ad Episcopum Lincoln. *Humilis servus christi et devotus &c.* 4.) ad simplices Sacerdotes. *Uidetur meritum bonos colligere sacerdotes &c.* 5.) De amore. *Quidam fidelis in domino querit &c.* 6.) De peccato in spiritum sanctum. *Nemo peccat in spiritum sanctum in sensu evangelij &c.* ut alibi. Hic tamen bis in titulis comparet M. J. W.

XII. fol. 53. p. 2. *De citationibus friuolis et alijs versucijs anticristi.* Initium: *Si papa uel eius vicario citante &c.* ut alibi.

XIII. fol. 57. p. 2. *De cruciata i. contra bella clericorum.* Initium: *Cum secundum fidem catholicam Ro. 8. timentibus deum &c.* ut alibi.

XIV. fol. 67. *De dissensione paparum.* Initium: *Quia ista monstruosa dissensio inter papas &c.* ut alibi.

XV. fol. 68. *De oracione et ecclesie purgacione.* Initium: *Dicturus de oracione suppono in primis eius quiditatem et divisionem &c.* Non reperi apud Baleum. Constat Capitibus 5. et finit: *ac tercio quomodo sint ab ecclesia expellende.*

XVI. fol. 71. p. 2. *De exortacione cujusdam doctoris.* Initium:

Labora sicut bonus miles &c. ut alibi.

XVII. fol. 73. *De perfectione statuum.* Initium: *Cum viantes et fratres specialiter contendant &c.* ut Cod. CCCCIV. ubi inscribitur: *De minoribus fratribus se extolentibus.*

XVIII. fol. 81. p. 2. *De quatuor sectis nouellis.* Initium: *Secundum tres virtutes Theologicas fideles quidam &c.* ut alibi.

XIX. fol. 95. *Sermo pulcher.* Initium: *Dominus vobiscum. Ruth 2. Secundum philosophos finis est actus &c.* ut alibi.

XX. fol. 96. p. 2. *De quatuor interpretacionibus.* Initium: *Quod clerus regni Anglie &c.* ut alibi. Sunt, qui perperam imprecationibus scripsere.

XXI. fol. 97. *De oracione dominica.* Initium: *Cum heretici diebus istis nouissimis &c.* ut alibi. Item *de salutacione angelica.*

XXII. fol. 102. *De solucione sathane.* Initium: *Quantum ad obiectum fratrum quod non sane &c.* ut alibi.

XXIII. fol. 105. *De septem donis spiritus sancti.* Initium: *Cum spiritus sanctus sit tertia persona trinitatis &c.* ut alibi.

XXIV. fol. 110. *De Graduationibus.* Initium: *Cum scientia inflat secundum apostolum &c.* ut alibi.

XXV. fol. 114. *De 8. questionibus pulchris.* Initium: *Amice preclare ex scripturis vestris concipio &c.* ut alibi.

XXVI.

1441

P O L E M I C I.

1442

XXVI. fol. 115. *De Iuramento Arnoldi* (de Granario) *Collectoris Domini Pape*. Initium: *Hec est forma iuramenti arnaldi* &c. ut alibi.

XXVII. fol. 117. p. 2. *De noua preuaricancia mandatorum*. Initium: *Cum secundum ueritatis testimonium Math. 19. ad ingressum* &c. ut alibi.

XXVIII. fol. 125. *De christo et suo aduersario anticristo*. Initium: *Secundum catholicos Ecclesia est predestinatorum uniuersitas* &c. ut alibi.

XXIX. fol. 134. p. 2. *De fundacione sectarum*. Initium: *Motus sum per quosdam ueritatis amicos* &c. ut alibi.

XXX. fol. 150. p. 2. *De fide catholica*. Initium: *Suppositis dictis de fide tam in simbolo Apostolorum* &c. ut Cod. CCCCIV. ubi inscribitur: *De Ecclesia*.

XXXI. fol. 161. *De sex iugis*. Initium: *Ut simplices sacerdotes zelo animarum succensi* &c. ut alibi.

XXXII. fol. 166. *De Triplici Ecclesia*. Initium: *Cum simulator cuiuslibet creature et iudicabo homines* &c. ut alibi.

XXXIII. fol. 168. p. 2. *De prelati contentionum*. Ita in Indice præuio. Initium: *Cum prelati contentionum non episcopi animarum* &c. Infurgit in eos occasione Legis in Anglia obtinentis: *ut quicumque in excommunicatione durauerit ultra 40. dies ex auctoritate regis et regni carceri mancipetur* &c. Non reperi

apud *Baleum*, sed retuli. Cod. CCCLXXXIV.

XXXIV. fol. 170. *De semine uerbi Dei*. Initium: *Semen est uerbum dei Luc. 8. Constat ex serie euangelij quod saluator noster* &c. Sermo est, quem in Corpore *Sermonum Wiclefi in Evangelia* reperiri non dubito.

XXXV. fol. 174. *De clauibus ecclesie. i. de potestate ligandi*. Initium: *Quodcumque ligauerit uel soluerit super terram conformiter ad christi iudicium* &c. ut Cod. CCCLXXXIV. ubi de *Clauibus celi* inscribitur.

XXXVI. fol. 175. *De Questione, utrum liceat thesaurum retinere*. Ita Index præuius. Initium: *Dubium est Vtrum regnum Anglie possit legitime imminente necessitate sue defensionis thesaurum regni detinere, ne deferatur ad exteros, et domino papa sub pena censurarum et uirtute obediencie hoc petente*. &c. An re ipsa Rex et Consilium id e *Wiclefo* quaesierit, ut putat *Baleus*, nescio. Erat ille ad mouendas ejusmodi Quaestiones, siue, ut dicimus, omnem lapidem fati ex se pronus. Atque hic ad *S. Petri Denarium* collimat. De Popularibus suis ita censet: *Crebro attemptant grandia, que ex defectu perseuerancie non consummant*.

XXXVII. fol. 178. p. 2. *De Condempnacione 19. Conclusionum*. Initium: *Cum secundum Apostolum ad hebre. II. fides sit fundamentum* &c. ut alibi.

XXXVIII.

1443

C O D I C E S

1444

XXXVIII. fol. 181. p. 2. De duobus generibus hereticorum. Initium: *Duo sunt genera hereticorum, de quibus foret Anglia expurganda &c.* Sunt hi *Simoniaci* et *Apostatici*, qui, subdit *Noster, sunt omnes Clerici.* Apud *Baleum* non reperi.

XXXIX. fol. 182. De trinitate. Initium: *Supereft inuestigare de distinctione &c.* ut alibi. Ad calcem iterum semel: *M. J. W.*

XL. fol. 244. ex Indice praevio: *De ydeis.* Initium: *Trañtando de ydeis primo oportet querere &c.* ut alibi. Codicis hujus scripti, emendati, marginumque notis instructi adcuracione, qua majori nec S. Biblia possint, aetatem ex ora fol. 127. p. 2. aliquatenus conjicias, ubi legitur: *Johannes papa XXIII. fuit in concilio Constancien. pro diabolo inquinato peruersitate per suos Cardinales et totum concilium condemnatus. Anno domini M^o. CCCC. XV.*

CCCLXXIX.

899 Codex membraneus lat. Sec. XV. Folior. 141. 4. per duas columnas scriptus et rubricis distinctus, olimque *Lymburgum* siue *Nimburgum* pertinens, ut praecedens, cujus *Pars Altera* videri potest, continet *Job. Wiclefi* sequentia: I. juxta Indicem praeuium XXXIII. *Conclusiones.* Initium: *Cristus deus noster caput vniuersalis ecclesie fuit pro tempore huius peregrinationis homo pauperrimus &c.* De

Paupertate Christi inscribitur Cod. CCCLXXXIV.

II. fol. 18. juxta eundem Indicem: XVIII. *Conclusiones.* Initium: *Protestor publice ut sepe alias quod propono &c.* ut alibi.

III. fol. 20. p. 2. *Incipit speculum secularium dominorum.* Initium: *Cum veritas fidei eo plus rutilat &c.* ut alibi.

IV. fol. 26. p. 2. *De dyabolo et membris eius et quod nemo dampnabitur nisi fuerit dyabolus.* Initium: *Fertur quendam fratrem inflatum superbia grauiter (ferre?) istam sententiam orthodoxam &c.* Aliud initium citat *Baleus.*

V. fol. 29. p. 2. Brevia quaedam, quae colligo: 1.) *De fundacione religionis. Saluator noster diligens vnitatem &c.* 2.) *Litera parua ad quendam socium. Amice karissime vobis in nomine (dei) regracior &c.* 3.) *De mendacijs fratrum. Pseudofrater replicant quod non licet sacerdotibus &c.* 4.) *Descriptio fratris. i. Monachi mendicantis. Pseudo frater degens in seculo &c.* 5.) *Conclusio de Officio Regis. Rex debet ex vi sui officij &c.* 6.) *De quatuor imprecationibus (Interpretationibus). Quod clerus regni Anglie secundum ordinacionem &c.* 7.) *De clauibus ecclesie. Quodcumque ligauerit uel soluerit &c.* Omnia, ut alibi.

VI. fol. 31. juxta Indicem praeuium: *De Ve octuplici super 23. C. Math.* Initium: *Cum sapientia dei patris sit nuclius veritatis &c.* ut alibi.

VII.